



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Bvlla Resvmptionis Concilii Tridentini, Svb Ivlio III. Pont. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in eisdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus & Apostolicae Sedis Legatis, statuit & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunii, praesentis anni millesimi quingentesimi quadragiesimi septimi celebrare decreuerat, ad diem Iouis post festum Natiuitatis Beatae Mariae Virginis, quae erit decima quinta mensis Septembris proximae futuri, quo ad praedictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt & prorogat; ita tamen, quod prosecutio discussionis & examinationis eorum, quae tam ad dogmata quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur; & terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius libito & voluntate, etiam in priuata Congregatione, abbreviare & prorogare liberè possit & valeat.

Die XIV. Septemb. M. D. XLVII. in Congregatione generali Bononia, prorogata fuit Sessio, quae futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri Concilij.

BVLLA RESVMPTIONIS
CONCILII TRIDENTINI,
SVB IVLIO III. PONT.
MAX.

IVLIVS EPISCOPVS, seruus seruorum DEI, ad futuram rei memoriam.

Cum ad tollenda religionis nostrae diffidia, quae in Germania longo tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione & scandalo vigerunt; bonum, opportunum & expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, nobis per suas litteras & nuncios significari fecit, vt sacrum aecumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam

*a Testa Mar-
celi. i. in Epist.
i. ad Episc.
prou. An-
tioch. & Pe-
lag. i. in Epist.
sua decret. in
Bonifacio E-
pist. ad Za-
chariam Pap.
scrib. & Sy-
nodo Chalce-
do. act. i. &
2. Nicana.
ho. i. act. 6. &
Nicolaus i. in
Epist. ad Mi-
shael.*

pam III. prædecessorem nostrum indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipsius prædecessoris nomine, vnà cum duobus alijs sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ipsi Concilio præsidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publica & solennes habitæ fuerunt Sessiones, pluraq; tam in causa fidei, quam reformationis promulgata decreta, multa que etiam ad veramque causam pertinentia examinata & discussa, ad ciuitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos, vt summos pro tempore Pontifices, spectat generalia Concilia indicere & dirigere, vt Ecclesiæ pacem & Christianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudè & gloriam procuremus, & quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum Conciliorum & sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra Vicarijs, debita obedientia & reuerentia, nulli Christianorum prouincia fuit vniquam secunda, paternè consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes ac Principes Christiani iustis piisque nostris hac re votis annuant, faueant atque assistant: venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, omnesque alios & singulos, qui de iure, vel consuetudine, vel priuilegio Concilijs generalibus interesse debent, quosque idem prædecessor noster in suis Indictionis & alijs quibuscumque desuper confectis & publicatis litteris, Concilio interesse voluit, per vscera misericordiæ Domini nostri Iesv Christi hortamur, requirimus & monemus, vt proximis futuris Kalendis Maij, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur statu resumendum & proseguendum, præmatura deliberatione, & ex certa nostra scientia & de Apostolica auctoritate plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium

lium consilio & assensu, statuimus, decernimus & declaramus, in ipsa ciuitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, conuenire & se congregare, ac ipsius Concilij continuatione & prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, vt eodem tempore, in eadem ciuitate nostri omnino adsint Legati, per quos, si per ætatem nostram valerudinemque, & Sedis Apostolicæ necessitates, personaliter adesse nequierimus, Spiritu sancto duce, ipsi Concilio præsidemus: quacumque ipsius Concilij translatione & suspensione, cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque ac præsertim illis, quæ idem prædecessor noster in suis litteris prædictis, quas cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis & decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, & quatenus opus sit, innotuamus, voluit non obstare: irritum nihilominus decernentes & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innotuationis, voluntatis & decretorum infringere, vel ei auso temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incuturum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, M. D. XLVIII, Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno I.

M. Cardinalis Crescen.

Rom. Amaszus.

¶

SACRO.